SIGNACULA SEPTEM THEOLOGICA, OCTOGONO CRUCIS WYZYCCIANÆ SIGNO PERENNIS BENEFICIJ APERTA,

ET

Sub Fortunatiſſimis auſpicijs

ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISS: DOMINI,

D. NICOLAI MICHAELIS WYZYCKI,

EPISCOPI NOMINATI Chelmenſis, Supremi Regni SECRETARIJ, ABBATIS Cervenenſis, PRÆPOSITI Mſtovienſis, Sacræ Theologiæ Doctoris


In publicam Diſputationem propoſita,

Per

Admodum Reverend: Dominum STANISLAVM ALBINVM ŁECZYNSKI, Canonicum Regularem Lateranen: Conventus Mſtovienſis, Sacræ Theologiæ, & SS. Canonum Auditorem.

Præſidibus R. P. CHRISTOPHORO ŁOSIEWSKI Soc: IESV, Sacræ Theol: Doctore, Ordinario Theologiæ Scholaſt: & Sacrorum Canonum Profeſſ: nec non R P. MICHAELE KIRSTEN Soc: IESV, AA:LL: & Philoſoph: Doctore, Ordinario Theologiæ Scholaſticæ & Polemicæ Profeſſore, in Collegio Varſavienſi ejuſdem Societatis IESV. Anno 1696. Menſe Iunio Die 27

VARSAVIÆ, in Collegio Scholarum Piarum Typis S. R. M.


Dignus es Domine accipere librum
et aperire signacula eius. Apoc. 5. v. 9.

JLLUSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME DOMINE,
Domine Patrone, ac Mecænas Amplissime.

Librum Theologicæ facultatis, septem munitum signaculis, Octogono Crucis Tuæ *reseratũ, ad Pontificalis Tui calcẽ depono. Extendisti ad solvenda eius signacula beneficam in me dexteram Tuam; ut quicunq; hic Tuis impensis expoliti ingenij partus, filius censeatur dexteræ Tuæ liberalis: quâ mihi quidem Theologicum studium, Tibi verò amplissimum perennaturæ gloriæ stadium aperuisti. Hoc enim ipsum volumen ita in amplissimos encomiorum Tuorum fastos abijt; ut in copiosissimos meritorum Tuorum Annales porrigatur. Prodit ergo vulgatus liberalitate Tua liber, sub vulgata per ora vulgi WYZYCCIANI Nominis gloria, in lucem publicam, qui ad secretiores palæstræ parietes, quadriennali mora in privato sensus colligebat, quos in publico de Tuis laudibus loqueretur. Septem enim illa signacula in Aquinatici pectoris cælo, veluti quadriennalis cursûs zodiaco, signa sunt: quibus ad felicem fortunæ Tuæ constellationem, Aureus* Illustrissimæ Domus *Horoscopus consignatur. Exhibetur imprimis hic liber sub arcanissimo in accessæ Divinitatis increatæq; Maiestatis signaculo, quæ ut in Te radios cælestium gratiarum sua serenitate reflexit; ita creatarum quoq; Maiestatum & serenitatum gratiosissimum influxum Tibi comparavit. Ad familiarem enim aspectum Tuum, concentratis gratiarum radijs reflexa Polona Maiestas, ita super Te lumen vultus sui signavit; ut aurea clavis*

ad

ad cor Principis omnibus clarè videreris. Imò index ad Horologium Principum dicendus es, qui non in secretiori sôlùm pectore Principis totus ab eius corde, momenta rationum nôsti consignare. Inde Tibi strictum cum corde Principis commercium, aureum aperuit ad fortunatas Regalis providentiæ insulas, emporium; cum ipse à secretissimo Principis Sacrario Clavis Regia, *illa quoq; nôsti aperire signacula; quibus consignata Sarmatiæ Maiestas, desiderata mentibus populorum, rationum motibus librat pondera. Occupâsti Patriæ Patris Regium cor, à quo salus liberarum Gentium, integritas populorum, Bellonæ vigor, Europæ potentia, Poloniæ vita, procedit. Et hoc est cur publico Patriæ ore, maioris orbe uniuerso Alexandri Nostri Ephestion audias; qui probè nôsti, quibus altissimorum consiliorum intelligentijs, Iupiter noster Poloni firmamenti gyret mobilia.*

Verùm neq; sub Angelicarum intelligentiarum signaculo liber hic noster clausus remanet, quem Tu forti scientiarum nisu, Angelico prope ingenio Tuo reserâsti. Viderat non semel Principis terrarum Vrbis oculus, in septicollis Romæ montanis, eam scientiæ Tuæ sublimitatem, quâ collium illorum celsitudines exequâsti, & Palatinum montem, augusto mentis Tuæ palatio implevisti. Sensit orbis caput, sibi non humilis mentis verticem accessisse, ubi Tu urbium Capiti tam vastæ eruditionis caput Tuum intulisses. Cumulâsti novus in Vrbe Vrbinas, Patria æquè ac peregrina politie urbanas gratias; quibus gratiùs quàm Romano invectus Tyberi, cordibus influeres exterorum. Quanquam nemini vel externo, extraneus videbaris publici amoris incola, cùm Te omnium cordibus inquilinum comis Tua in omnes popularitas invexisset. Non immeritò proinde Portâ Populi Romam Te ingressum putamus, ex qua Tibi obviam vota populorum occurrerent. Sed non eandem quâ Romam veneras, viam in Patriæ cor directurus reflexisti: cùm inde iam via triumphali publicus affectuum triumphator movisses; unde ab augusta Roma, retrogrado ad Patria limina regressu, universæ Sarmatiæ amor redijsti. Debueras scilicet

ex

ex septicolli Romanà sede, velut e vitalì corde Religionis, ad tricollem amoris metropolim, cor patriæ, iter direxisse; quod Tibi comis in omnes, humanitas Tua reclusit.

Auream præterea dum liber hic Theologicus sub virtutum Theologicarum atq; Moralium signaculo evoluit paginam: Tu in eam perennes innumerarum virtutum Tuarum fastos effundis; quos legat omnis ætas, & in eis computet, si potest, rectefacta, quorum ærarium aureo Octogono Tuo *reserasti. Audivimus ipsi, quâ igniti eloquij vehementiâ Religionis Tuæ zelus publicis exedris intonuit; quo divinioris mentis radio in vultu pietas, in exporrecta amæniùs fronte Pontificalis reluxit modestia, quo meritorum sacrificio, & quibus Mysta Aris, quibus Pontifex Tiaris formareris. Prius infulatæ virtutes caput Tuum coronaverunt, quam illud Infulis destinaretur: priùs manum Tuam occupauit pretiosissimus Cordium unio, charitas proximi; prius eam exornavit carissima virtutum gemma, liberalitas in Deum & homines: quam illa ad Pontificij annuli gemmam digitum suum extenderet: narrabit sæculis Podolia, Volhynia, Russia, narrabit Strigonium, Vienna, heroicæ charitatis, & liberalissimæ beneficentiæ Tuæ prodigia, quæ circa depressam miserorum sortem, afflictamq; egentium vitam, manus Tua patrauit. Vbi Tu Magni IOANNIS magnarum viarum comes, in ipsis bellicorum itinerum tractibus iacentia vix spirantium militum, virorum, puerorumq; corpora beneficijs Tuis toties levata, provisa & sustentata ad meliorem vitam, obsequiumq; Reipublicæ restituisti. Vbi in theatro mortis, vitæ subsidia, inter castrorum incommoda providendo astrorum solatia; gregarios à morbis & vulneribus ægros cibo propriæ manus operâ ingesto reficiebas; vulnera pharmacis refecta obligabas, singulari thaumaturgæ charitatis exemplo; milites infirmos prouidentia liberali, miseros, & egentes profusorum beneficiorum ope, pressos & afflictos fortunis Tuis recreabas: in mortis periculo constitutos absolutionis sacramentalis gratiâ, sacræ exomologesis remedijs, verbo vitæ & bonæ mortis instructione ad meliorem vitam di-*

disponebas. Profectò inter dissonos Martis fragores consonantiam bonæ mortis docuisti; inter arma virtutum palæstram feliciter aperuisti. Ex qua discet posteritas Te ipsum aureæ charitatis, liberalitatis, omniumq́; virtutum singulare esse exemplum.

Sed neq́; ferreo legum munita signaculo Theologici tractatus iustitia, tam presso decretalium rigore signatorium muniuit sigillum; quod non æqui honestiq́; amor Tuus resignaret. In his tamen tã benefici iuris Tui digestis, nunquam ad numerum digesta beneficia spectabamus; cum semper clementissima Themis Tua, auream ferreæ præferret bilancem; quâ superius calamitosorum ceruicibus infortunium deprimeres; non quâ pro deputatis pænæ capitibus, suppliciorum pondera librares. Ius Canonicum non pænales sed illos Tibi præcipuè Titulos reliquit; quos Beneficentia Tua citra precarias de donatione cordibus clientum egentiumq́; inscripsit. Singuli Tibi dies voto obstricti ad subleuandas egestate depressorum præsertim Religiosorum Deoq́; dicatorum hominum necessitates; per quod votum stat nullum Te diem beneficij Tui expertem unquam amisisse. Adeo uniuersa Octogoni Tui Cornua *in aureas cornucopias expendisti ut nihil agere possis, nisi benefaciendo; nihil cogitare, nisi jura gratiarum in alios transfundenda. Felici sane Canonici iuris peritiâ Te nobis Gratianum exhibuisti; qui ut gratiarum Tuarum iure ipsam Religionem canonicè Tibi obligares: Sacrum Canonicorum Ordinem, ad perfectiorem Legem Domini in eo erudiendus, delegisti. Stupebat interim orbis, Religiosi latibuli sigillo munitam modestiam Tuam; cum auream ad sacri honoris atria clavem, velut ad priuatæ vitæ parietem allisam vidisset. Verùm Te bono Religiosæ huius Familiæ, fauentissimum cœlum destinauit, ut Religio nostra & singulariter Conuentus Mstoviensis Te* PATREM AMANTISSIMVM *haberet, cuius paterno pectore foueretur, prouida manu sustentaretur, patrocinantibus fortunis ad maius Ordinis & felicitatis suæ auctarium promoueretur. Ipsa saxa lapidesq́; alioquin mutos in voces animâsti,*

qui-

quibus illi prouidentiam Tuam disertè posthumis eloquuntur temporibus. Non tacebunt Religiosi parietes beneficia Tua in Domum Conuentualem Mstouiensem, quà parte instauratam, quà auctam, quà à fundamentis de muro erectam, & accessione nouarum ædium ampliatam, influxu amplissimæ liberalitatis Tuæ profusa. Non tacebunt Basilicæ ipsius Numinis ædes, basilicam Tuam munificentiam, quà decorem Domus DEI ampliâsti, sacris vestimentis, Deoq; dicata supellectili docorâsti, & ab ipsis fundamentis instaurare cæpisti. Monumenta hæc beneficiorum facundæ sunt linguæ gratitudinis; quæ loquuntur Paterni cordis Tui prouidentiam, adeo magnam; ut nec anteactarum ætatum memoriâ recolere, nec secuturi temporis voto, optare possimus maiorem. Profectò benè ominoso fortunæ nostræ præsagio Religiosissimorum Canonicorum Lateranum elegisti; quasi iam vel tunc nascente omine signatus, unde olim fidissimus Principi a Latere assumendus parareris. Vbi primùm liberis suffragijs, libera animorum consensione ad Mstouiensis Præpositurae culmen postulatus; ab auspicatissima manu Magni Primatis & ArchiPræsulis quà Senatorij & Regij Sanguinis, quà Romani Honoris Purpurâ Eminentissimi Cardinalis RADZIEIOWSKI Pastoris & Protectoris Nostri Maximi, fortunatam accepisti institutionem & cum ea sortitus es auspicia illius AGNI qui ut consignatum suprema DEI manu Ecclesiæ librum, ita suprema in Ecclesia Orthodoxa Honorum signacula felicissimè nouit aperire. Inde jam heròô passu ad Regis Regniq; assumptus Sacramenta Supremus Secretarius, inde ad Diuiniora in Abbatum Pontificumq; Tiaris, Ecclesiæ mysteria procedis; clausum Sacramentorum signaculo Theologicum Tuumq; Librum reseraturus. Inferius virtutis Tuæ celsitudine Abbatia Cervenensis culmen Tibi porrexit: ut inde triumphalibus digna fastigijs in Pontificalis Infulæ apicem Proceritas Tua assurgeret. Hinc se Tibi sacro Vaticanæ curiæ munita signaculo, ad sacri Honoris Templum porta expandit: dum ad Chelmensem Insulam veluti honoris Tui baptisterium à Magno

IOAN-

IOANNE nominatus, ab INNOCENTIO demum XII. confirmandus procedis. Quidquid interim sacri honoris Cancellarius obsignauerit Annulus Piscatoris: vel Episcopali Annulo Pontificalem Tibi Cathedram inarrhabit, vel aureum meritorum Tuorum in Ecclesiam Breve longa deductum serie, ad perpetuam rei memoriam consignabit: Imò si qua parte inuisus in Ecclesiæ Tuæ navim turbo assurgat tempestuosum Tibi mare desponsabit. Quantum porro addet Ecclesiæ rebus Roma in Pastorali Pedo Tuo fulcimentum? cui potior laborantis Religionis moles incumbet. Quàm commodè Pontificio Pallio regendam teges Ecclesiam, si qua parte illam refrigescens charitas destituerit. Adest Tibi ardor sacræ Civilisq; eloquentiæ quâ mentes auditorum succendas, adest vena suadæ, quâ in penetralia cordium influas, adest aurei oris facundia, quâ redivivos Chrisostomos & Chrisologos nobis exhibeas. Atq; ista aurea oris Tui clavi signaculum Verbi Diuini, sub signaculo fidei, in carne humana absconditi, simulq; signaculum scientiæ Boni & Mali, quâ priuatim quâ publicè semper felicissimè nouisti reserare.

Accedit demùm ad hæc Theologici Libri septem signacula grande aviti Sanguinis Tui volumen, à Magno Geraldo consignatum, nobis reserandum, quod Heroo Crucis Tuæ Octogono antiquissimum Stemma consignat. Porrigitur simul hîc Clarissimæ WYZYCCIANÆ Domus Clavis aurea ad resplendens Illustrissimis Ceris Atrium immortalitatis quæ Illustrioris Lucinæ splendore profusos tot Heroas aperit, quot hæredes, tot Numina, quot Nomina in Basilica Honoris adoranda. Cæcutijt fateor ad obscuriorem quorundam natalium angulum Lucina, verùm ad primam orientis Generis Tui auroram oculatior se totâ extitit, ut perspicaciùs illustriora Familiæ Tuæ decora prouideret. Dulcis adhuc vetustatis memoria, prima Generis WYZYCCIANI recolit capita, quæ ipsæ olim coronatæ Principum Maiestates coluêre. Primus hîc Infulatum Vłoclauiensi Tiarâ Geraldus attollit verticem, qui à Serenissimo Vladislao Łokietone Auenionem ad IOANNEM XXII. Pontificem Maximum, Ora-

ra-

rator Maior Maximis, in causa cum Cruciferis legationem obiuit: ut, quia pessumdata Religione male Crucem ferebat gens Crucifera, Gentilitiam illi Octogoni *sui* Crucem *Geraldus opponeret. Alter ex primis Domus Tuæ capitibus, Geraldus, orientalis Ecclesiæ & ritûs Episcopus, quanta dignitate augusti verticis, Tiaræ Præsuleæ Majestatem eleuârit; restitutæ Romano Cultui Aræ contestantur. Hinc non miror cur uno nisu, duodecim enixa natos Mater prioris Geraldi, primo fætu tam fæcunda esse voluerit; cum tam Grandis Prosapiæ Mater, uno partu conata uniuersos naturæ thesauros exhaurire, ostenderet naturam vires suas intendisse; quibus amplissimam hanc Domum, grande negotium sæculorum ad occupandam vastissimæ gloriæ hæreditatem provideret: & uno partu, integrum fortium Heroum exercitum, uniuersæ Poloniæ defensioni pareret & pararet. Et hoc est quod Gentilitia Geraldorum Arma, sub* Heroæ Crucis Octogono *non profana verùm Pontificis Maximi manu Romæ auctorata, in Domus* WYZYCCIANÆ *insigne abierunt. Quasi voluerit pro Vaticani solij Majestate Pater Beatissimus hocce* Octogono *velut Carauacensi Cruce contra tonantium super Polono Polo bellorum tonitrua, Sarmatiæ benedicere; eamq; contra aduersa hostilium armorum fulgura hoc signo munire. Atq; istud triumphale auitæ Crucis labarum, ita unius sanguinis purpura circumfudit: ut etiam copiosum alium in Sarmatia nostra clarissimum sanguinem fæderato nexu illi affunderet; &* WYZYCCIANI *Generis magnitudinem unius vetustissimæ Domus amplitudo ita conclusit, ut simul illam per innumeras Domos easq; Regni nostri Illustrissimas affinitatis jure spatiari faceret. Gentilitius* WYZYCCIORVM ALES *famâ super æthera notus sublimi suo volatu emensus est amplissimarum familiarum immensa gloriæ spatia, in quibus Auita* ZACWILIKOWSCIORVM & LIGĘZARVM Capita, *vetustissimos* KONARSCIORVM Gryphes, *in utraq; Purpura conspicuas* MĘCZENIORVM Rosas, *florentissima* OSVCHOWSCIORVM Lilia, *Illustrissimos* PRAZMOWSCIORVM, BICZYNSCIORVM, CHOYNSCIORVM, OSZVLEWSCI-

ORVM, BORKOWSCIORVM, WOLSCIORVM, *Ducum* CZERTWERTYNSCIORVM, CETNERORVM, ZABOKLICCIORVM, SKOTNICCIORVM, KASZOWSCIORVM, KOSAKOWSCIORVM *Splendores, aliaq; sexcenta Nobilissimarum Familiarum insignia ad socialem stirpis Suæ adjunxit & consignauit stationem. Tanta sunt, totq; clarissima diuersarum stirpium decora affinitatis nexu* WYZYCCIANÆ *Domui colligata; tot Heroum grandia Nomina gloriosissimo* Crucis Octogono *consignata, ut illis computandis impares sint ætates, nec ætatum ingenia sufficiant. Liceat excussis fatorum ruderibus, è mortuali levare marmore* IOANNEM STANISLAVM à Wyzyce WYZYCKI, *Terrarum Kijoviensium Vexilliferum, Genitorem Tuum gloriosissimum, in hoc uno integrum illustrium Heroum exercitum, in ejusq; solius pectore plurimorum Bellatorum & Ductorum spiritus agnoscemus. Quantis hic quinq; Regum amoribus & honoribus clarissimus? quantis Kosatici, Scythici, Pannonici, Moschouitici, Turcici, bellorum trophæis conspicuus? in Toga, oraculum, in Sago Polonæ fortitudinis, propugnaculum, tot sigillis, quot meritorum monumentis, amoris æraria, Principum corda consignauit. A faustis* SIGISMVNDI *temporibus, per auream* VLADISLAI, *ferream* CASIMIRI & MICHAELIS *ætatem, usq; ad triumphales Serenissimi & Inuictissimi* IOANNIS *fortunatè nunc regnantis annos, vitam meritis plenam deduxit: ut divisos in prædecessorum Regũ corda, veluti in Prouincias, fauores, in Potentissima* IOANNIS III. Congregatorum manu, *collectos simul haberet: & quinq; Regum cordibus veluti muris aheneis munitam, emerito Civi concessam Pentapolim hic occuparet. Posuisti Dilecto Patri, Pijssimus Filius, Mausoleum in corde Roxolani Leonis Leopoli, huicq; cordi simul & Tuo inter parentales characteres, quà* Toga quà Sago insignem *Civem incidisti, ut eum Leonis fortitudinem in Patriæ hostes, Leonis magnanimitatem in Cives, & in sui sanguinis hæredes, etiam post fata vivo corde spirare ostenderes. Hunc Martium spiritum animumq; Patris*

sui

sui induerat ad bella Domini natus Fortissimus Bellator GEORGIVS à Wyzyce WYZYCKI *Capitaneus Wawolnicensis, Frater Tuus dilectissimus, qui vitam, quam à Patria acceperat, totam bono Patriæ reddidit, in hoc sacro bello hostium armis occumbens; mortis suæ triumphalis, Triumphatorem Orientis, Regem Nostrum Victoriosissimum habuit spectatorem & laudatorem: & ut in morte sua Nominis immortalitatem, ita in memoria Principis & Patriæ vitam perennaturam est auspicatus. Sortitus est heroicæ mortis suæ imitatorem magnarum virtutum Heroem:* THOMAM WYZYCKI, *suum è Patruo fratrem, qui dum proximè elapso anno palmas & lauros in demessis Gelonum capitibus plantaret: ipse hostili ferro demessus, memoriæ Civium implantatam Nominis sui gloriam reliquit immortalem. Hoc eodem spiritu Patris sui plenus, suo exemplo luculentè probat, quod* fortes creantur fortibus, *ut sanguinis & nominis, ita virtutis Paternæ dignissimus hæres alter* IOANNES à Wyzyce WYZYCKI *Vexillifer Kijoviensis, alter Frater Tuus carissimus, qui adeo strenuè gloriæ Paternæ pressit vestigium; ut ad illius & honoris & virtutis passus & honorem suum in Kijoviensi Palatinatu & virtutem suam in Martia statione locaverit. Qui primum Serenissimi Principis Poloniarum* IACOBI *cataphractæ militiæ Vexillifer, ad triumphalem* Ianinam, *victoriosè & triumphaliter campum Martium toties emensus, Podolienses, Moldavicos aliosq; confines campos, Tauricanorum & Otomanicorum capitum aceruis, quà cæsis quà captiuatis ad uberem gloriæ suæ messem ad Polonæ felicitatis fertilitatem repleuit. Qui deinde modò Magni* LVBOMIRSCII *Supremi Mareschalci, cohortis loricatæ Ductor,* Drusorum *passibus, fortunati* Srzeniavæ *alveo, bellicam gloriam ad lauros & trophæa deducit: qui sive dum consilio inter Cives, sive dum armis inter hostes decernit, ubiq; suorum Majorum gloriam, ubiq; Patrem suum circumfert, ita ut totus in Filio redivivus spiret Pater. Atq; hæc sunt* avita Octogoni Illustrissimæ Crucis Tuæ Signacula: *quæ Theologicis septem signaculis conjuncta,*

cta, grandes virtutis & gloriæ Tuæ tomos consignant: in quorum fronte Tu primum Caput Doctorali Laurea insignitum, in Te uno integram scientiarum Bibliothecam exhibes. Adiungo his memoriale beneficiorum Tuorum, mihi sub nova editione gratitudinis semper revolvendum. Vtq; ista omnia cum Libro Theologiæ signato ad gratiosissimas Manus Tuas, ita me ipsum innumeris gratiarum Tuarum signaculis consignatum, ad munificos pedes Tuos depono.

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ

Honori & Nomini

obligatissimus Cliens

P. STANISLAVS ALBINVS ŁĘCZYNSKI
Canon: Reg: Lateran: Conv: Mstov.

I.
SIGNACULUM DEI MAJESTATIS

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Psalmo 4. ver: 7.

DEVS est ex essentia sua Ens à se, non tantùm in sensu reali & physico, sed etiam in formali, & ex conceptu suo metaphysico primo essentiali. Ratio. Quia sicut physicè DEO nihil prius datur per modum causæ, cùm ipse sibi se solo sit sufficiens ad existendum à nullo accipiens, sed omnibus dans esse; ita ratione nostra in DEO nihil per modum radicis, prius est prædicato Entis à se, sive aseitate; utpote quæ sola concipitur ut prima radix omnium (si Existentiam excipias) perfectionum DEO conuenientium; quemadmodum ex opposito, Abaleitas concipitur ut prima radix omnium imperfectionum DEO repugnantium. Dixi: si existentiam excipias: hæc enim inpræscindibilis est à ratione Entis à se, ideoq; in conceptu primo-essentiali DEI formaliter involvitur: tum quia impossibile est concipere aliquid per modum radicis ad aliquid, quin concipiatur existens: radix enim concipi debet ut emanans aliquid ex se, nihil autem non existens intelligi potest aliquid ex se emanare: tum quia ipsa ratio entis à se excludit formaliter potentialitatem ad existendum, hoc ipso, quòd excludat formaliter abaleitatem. Ergo necesse est, ut formaliter includat existentiam actualem, tanquam formam oppositam potentialitati.

Potest supernaturaliter DEVS intuitivè videri ab intellectu creato. Est de fide, quæ docet Beatos in cælo intueri clarè DEVM ut est in se, quemadmodum habetur in Concilio Florent: sess: ult: in decreto Eugenij. patetq; ex 1. Ioan: 3. *Videbimus eum sicuti est.* & 1. ad Corynth: 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* & Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Idem ipsum passim docent SS. Patres. Ratio interim est; quia intellectus creatus, habet potentiam inchoatam elevabilem ad visionem intuitivam DEI: potest enim & de facto versatur naturaliter circa DEVM per actus imperfectos abstractivos, ideoq; meritò DEVS secundùm se, intra latitudinem objecti ipsius adæquati naturalis, censetur, quod juxta omnes sufficit, ut sit elevabilis, ad modum supernaturalem videndi eundem DEVM intuitivè. Elevatur autem per lumen gloriæ, ut constat ex Concil: Vien: & habetur in Clement: Ad nostrum. de hæret: sed non propterea lumen istud est tota ratio agendi excluso concursu immediatè effectivo ipsius intellectus: tum quia

viſio intuitiva DEI eſt actus vitalis, qualis non foret, ſi effectivè immediatè à ſolo lumine gloriæ procederet, utpote quod non eſt principium vitale. Tum quia habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, non ſunt tota ratio agendi, ſic, ut potentiæ non efficiant actus ſupernaturales per ſeipſas immediatè, alioquin enim haberent ſe mere paſſivè, quod repugnat Tridentino ſeſſ: 6. de juſtificat: Can: 4. Ergo neq; lumen gloriæ, eſt tota ratio agendi.

Datur in DEO, ſcientia certa & infallibilis omnium ſcibilium. Præter ſcripturarum & Patrum conſenſum, Ratio eſt 1. quia DEO convenit omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, qualis eſt ſcientia omnium ſcibilium. 2. DEUS habet perfectiſſimum modum eſſendi. Ergo & agendi, qui ſine ſcientia haberi nequit. 3. DEVS eſt Supremus Gubernator totius Vniverſi, juſtis præmia meritorum, injuſtis pœnas delictorum decernens. Ergo habet ſcientiam rerum omnium, ſine hac enim Vniverſum gubernare non poſſet. Porro inter objecta ſcibilia ſcientiæ Divinæ ſunt etiam contingentia libera, tam abſolutè, quàm conditionatè futura, quæ DEVS cognoſcit immediatè in ſeipſis, non autem in eſſentia ſua tanquam in medio in quo. De primo, non eſt dubitandum; ſecundum probatur; quia futura libera, ſive abſoluta, ſive conditionata, ſunt in ſeipſis immediatè cognoſcibilia, cùm ſecundùm eſſe ſuum proprium, ſint aliquod verum, aptum terminare cognitionem Divinam citra ullam imperfectionem; unde neceſſe eſt, ut DEVS, illa immediatè in ſeipſis cognoſcat, utpote, qui tanquam Ens intellectivum, ſummè perfectum, debet cognoſcere omne cognoſcibile eo modo, quo eſt cognoſcibile citra imperfectionem. Nec obeſt, quòd futura iſta non habeant hîc & nunc exiſtentiam actualem; nam aliàs & præterita non poſſent in ſe immediatè cognoſci, quod tamen falſum eſt. Quoad tertium, ratio eſt, quia eſſentia Divina ex intrinſecis ſuis, nullam habet neceſſariam connexionem cum futuris contingentibus quà talibus. Ergo non poteſt ea DEVS cognoſcere in eſſentia ſua, tanquam in medio in quo.

II.
SIGNACVLVM
ANGELICÆ EXCELLENTIÆ.

Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore. Ezechiel: 28. ver: 12.

ANgeli de facto, non ſola ſpecie, ſed etiam aliqui ſolo numero diſtingvuntur inter ſe. Ratio eſt. Tum quia ex una parte DEVS ita eſt imitabilis, & participabilis à creatura in infinitum; ut non ſolùm diverſimodè infinities per diverſas ſpecie, ſed etiam infinities per diverſas ſolo numero participationes valeat participari: ex altera parte nullum prorsùs aſſignari poteſt ſolidum fundamentum ſic reſtringendi imitabilitatem Divinam quo ad Angelos; ut perfectio DEI, quam imitatur Angelus A, non ſit imitabilis ampliùs, niſi una tantùm imagine: adeoq; perfectio Divina, quam imitatur vg. Michàël, non poſſit ut cauſa exemplaris de facto influere, niſi in unicum tantùm effectum. Tum quia (ut probat

Scotus ex S. Damasceno) ad perfectionem amicitiæ & societatis inter Angelos spectat, ut quivis habeat plures sibi similes in natura specifica. *Amicitia* enim juxta Philosophū 8. Ethic: c. 7. & 11. *eò est perfectior, quò inter magis æquales versatur: cùm superior magis velit amari, quàm amare.* Tum quia principium ex quo desumitur ratio distinctionis numericæ non est sola materia, & habitudo ad illam, prout volunt oppositæ sententiæ Authores, sed est ipsa entitas constitutiva cujusq; rei: per id enim aliquid distinguitur ab alio; per quod in esse suo constituitur: ideoq; in Angelicis intelligentijs expertibus materiæ reperitur hoc principium distinctionis individualis. Tum deniq; quia hanc multiplicationem numericam Angelicarum substantiarum agnoscunt SS. Patres: ut Basilius, Augustinus, Anselmus, Athanasius, Bonaventura, Damascenus, plurimi quoq; Thomistæ antiquiores; ut Ferrariensis, Bannez, Zumel, & alij.

Angeli prævaricatoris primum peccatum fuit superbia propriè & specialiter dicta, prout nimirùm est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Fundatur hæc assertio in scriptura quæ Ecclesiastici 10. asserit, *initium omnis peccati esse superbiam.* Et Isaiæ 14. de Lucifero sub allegoria Regis Babiloniorum, dicit: *detracta est ad inferos superbia tua - - - Quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui manè oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam super astra DEI exaltabo solium meum.* Item Ezech: 28. eundem Luciferum in persona Regis Tyri sic alloquitur: *elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* Relatis hîc scripturæ locis, primum peccatum superbiæ Angelicæ significari volunt SS. Patres, præsertim Ambrosius, Augustinus, Chrisostomus, Theophilactus, & alij. Vnde S. Ambrosius in Psal: 118. disertè ait. *Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam.* Porro probabilissimum est, quòd objectum huius superbiæ Angelicæ, fuerit tum Vnio hypostatica verbi inordinatè appetita; tum beatitudo supernaturalis ipsius Angeli malitiosè contempta, in quantum ille facta sibi revelatione, de Incarnatione Verbi, naturæ suæ excellentiâ inflatus, DEO-homini subijci noluit; ipse Vnionem hypostaticam, tanquam potiori jure naturæ suæ debitam ambitiosè affectavit; & quia non dandam sibi certò scivit; ideo etiam beatitudinem supernaturalem suam, ad quam per actus subjectionis Deo-homini exhibendos pervenire debebat, contempsit: naturali sua beatitudine, & donis naturalibus contentus vivere volens, & in seipso, tanquam in ultimo fine quiescere.

III.
SIGNACVLVM
SCIENTIÆ BONI & MALI.

Produxit D. DEVS lignum vitæ in medio Paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali. Gen: c. 2. ver: 9. Lignum scientiæ esse *typum, ac signaculum obedientiæ & inobedientiæ,* docet S. Ambrosius lib: de Paradiso. c. 6.

SVmmū bonū, ultimus finis, & beatitudo essentialis super-

naturalis nostra, est solus DEVS, prout cognoscibilis per visionē intuitivā, & amabilis per amorē amicitiæ, plenè satiativum appetitus rationalis. Fundamentum est. Beatitudo essentialis supernaturalis nostra, est summum bonum, continens in se eminenter omnia bona, prout adæquatè possessum, & plenè perfecteq; satians ac quietans appetitum rationalem. Sed tale bonum est solus DEVS, prout cognoscibilis per visionem intuitivam, per quam ille adæquatè possidetur, & prout amabilis per amorem amicitiæ, ultimò & plenè satiativum, atq; quietativum appetitûs rationalis. Visio enim intuitiva DEI, est formalis, & perfecta possessio summi boni DEI, ita, ut illa formaliter apprehendat, & detineat hoc bonum, illudq; intra intellectum reponat, & faciat suum. Vnde quemadmodum possessio boni corporalis juxta Jurisconsultos, est ***apprehensio, & detentio rei corporalis, corporis, animi, & juris adminiculo facta.*** deduciturq; possessio hæc *à sedibus*, seu *à positione sedium*. Glos: *in L.* 3. §. 1. ff. *de acquirenda possessione*; ita intellectualis possessio summi boni spiritualis, est apprehensio, & detentio ejusdem boni, animi, & juris adminiculo facta, per quam DEVS fit sedes Beati; prout dicitur Psal: 44. *Sedes tua DEVS in sæculum sæculi.* Quæ apprehensio, & detentio habetur adæquatè formaliter per visionem intuitivam tanquam per actum intellectûs, cui soli convenit esse apprehensionem sui objecti, captionem, & detentionem ejusdem. Jam verò amor amicitiæ, & fruitio summi boni per hunc amorem formaliter quietat, plenè satiat, & pacificat appetitum rationalem. Cùm enim appetitus rationalis propriè sit motus voluntatis, sequitur, quòd quies, & plena satietas appetitûs rationalis, debeat esse formaliter quies & satietas propria voluntatis. Siquidem ejusdem potentiæ est quiescere in termino, cujus est moveri per desiderium inquisitivum termini. Atqui quies & satietas propria voluntatis, non potest haberi, nisi per actum proprium, & quidem perfectissimum ejusdem voluntatis, qualis actus est fruitio summi boni per amorem. Porro sine ejusmodi quiete appetitus rationalis maneret adhuc anxius, & existens in quadam tendentia, non in termino, ideoq; non esset perfectè formaliter beatus; siquidem formalis essentialis beatitudo, debet esse, per seipsam formaliter, seu per modum formæ exclusiva omnis anxietatis. Sicuti objectiva essentialis beatitudo, est seipsâ per modum objecti exclusiua omnis anxietatis, & inquietudinis. Cùm igitur ad essentiam beatitudinis formalis nostræ requiratur, & possessio summi boni, & quies in eodem bono, plenè satiativa appetitûs rationalis. ideo assero eam *beatitudinem formalem acceptam præcisè pro possessione summi boni, consistere adæquatè in visione intuitiva DEI: acceptam verò pro plena satietate, & perfecta quiete appetitûs rationalis, consistere essentialiter etiam in fruitione ejusdem summi boni per amorem amicitiæ, atq; gaudium.*

Malitia formalis peccati consistit in entitate positiva actûs, difformis naturæ rationali quà tali, & legi Divinæ. Probatur. In eo consistit formalis malitia peccati, quod est formaliter disconveniens naturæ rationali quà tali, & quod formaliter contrariatur legi Divinæ, vg. præcepto prohibenti odium DEI, aut furtum. Sed ipsa entitas positiva actûs difformis, posita cum advertentia ad malitiam objecti, est formaliter disconveniens naturæ rationali quà tali, & formaliter contrariatur legi Divinæ; quia antequam intelligatur quævis negatio, consequens

actum

actum positivum peccati, pro priori jam intelligitur illa difformitas, & disconvenientia cum natura rationali quà tali, & contravenientia legi Divinæ; intelligitur enim pro illo priori tendentia positiva ad objectum dissonum legi & rationi, quæ tendentia, prout antecedit negationem quam causat, continetur sub aliqua moralitatis specie, est enim formaliter in genere moris, cùm procedat à voluntate liberè cum respectu ad regulas morum operante, ideoq; à voluntate, ut ab agente morali: atqui non continetur sub specie moralitatis bonæ, ut per se patet; ergo continetur sub specie moralitatis malæ, seu sub specie mali moralis. Hinc est, quòd in negatione quomodocunq; explicata non possit formaliter consistere malitia peccati. Cùm hæc negatio, neq; sit formaliter libera, necessariò enim consequitur, vel concomitatur actum positivum peccati: Neq; sit contrariè, sed privativè opposita bono morali; cùm tamen malitia peccati contrariè debeat opponi bonitati morali juxta S. Thom: 2. 2. q. 24. art. 12. in corp. sic loquentem: *Actus peccati mortalis contrariatur charitati secundùm propriam rationem.* & q. 1. de malo. *Actus voluntatis in quantum fertur in malum, contrariatur propriè bono:* Neq; illa negatio sit assensus, qualis assensus est de ratione peccati juxta S. Augustinum, qui tract. de Gen. ad literam. c. 1. dicit, *Non esse peccatum, nisi superbum liberæ voluntatis assensum; cùm inclinamur ad ea, quæ justitia vetat.* Ergo formalis malitia peccati consistit in entitate positiva actûs difformis naturæ rationali & legi Divinæ.

Peccatum originale, est formaliter ille ipse actus, quo Adamus liberè transgressus est præceptum divinum, comedendo fructum arboris vetitæ, prout positus moraliter liberè à posteris ejusdem Adami, ratione inclusionis moralis voluntatum posteritatis in voluntate Adami, in ordine ad servandum, vel violandum illud præceptum. Ratio est, quia illud est peccatum originale posterorum, quod commiserunt omnes posteri in Adamo; ex sententia Apostoli dicentis, *in quo omnes peccaverunt.* Atqui illud quod commiserunt omnes posteri in Adamo, non est aliud, quàm ille ipse actus, quo Adamus liberè transgressus est præceptum Divinum, comedendo fructum vetitum, prout positus moraliter liberè etiam à posteris ejusdem Adami; nam in Adamo posteri illius, non aliud peccatum commiserunt, nisi illud, quod commisit ipse Adamus, & in ordine ad quod fuerunt voluntates posterorum inclusæ moraliter in voluntate ipsius. Sicut enim nemo simpliciter peccat in alio, nisi ille alius peccet; ita nemo aliud peccatum committit in alio, nisi illud, quod ille alius committit, & in ordine ad quod voluntas illius includitur in voluntate alterius. Deinde peccatum originale verè est peccatum posterorum proprium illorum; sed nisi dicatur peccatum originale esse ille ipse actus, quo Adamus transgressus est præceptum Divinum, comedendo fructum vetitum, prout moraliter liberè positus etiam à posteris; non potest ostendi, quomodo peccatum originale, sit verè peccatum posterorum proprium illorum. Ergo peccatum originale, est formaliter ille ipse actus Adami prout positus moraliter liberè etiam à posteris.

Gratia habitualis non dicit essentialem oppositionem cum peccato mortali; ideoq; de potentia absoluta, potest stare peccatũ mortale cum gratia habituali in eodem subjecto. Ratio est, quia cùm gratia & peccatum, sint duæ formæ positivæ, non mi-

nùs, atq; ignis & aqua, calor ut octo, & frigus ut octo, sunt duæ formæ positivæ; tum non est negandum posse de potentia absoluta componi gratiam cum peccato mortali, sicut de potentia absoluta, potest componi forma ignis cum forma aquæ; calor ut octo, cum frigore ut octo, in eodem subjecto. Deinde posse à DEO infundi alicui homini gratiam, non remisso eidem peccato mortali, suadetur, tum negatione omnis implicantiæ, quæ in hoc puncto nulla solida adfertur; tum ratione positiva: si enim DEVS non posset infundere homini gratiam, quin remittat eidem peccatum mortale; ideo id non posset, vel quia remissio peccati est omnino indistincta realiter ab infusione gratiæ; vel quia remissio peccati est effectus gratiæ inevitabiliter, & inimpedibiliter illi debitus; sed neutrum est. Nam imprimis Concilium Trident. Sess. 6. c. 7. clarè distinguit remissionem peccatorum ab infusione & susceptione gratiæ, dum dicit; *justificatio non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ.* Ergo remissio peccati est forma distincta realiter ab infusione gratiæ. Præterea gratia posita in subjecto, remissionem peccati exigit solùm tanquam effectum suum secundarium formalem, ad eum modum, quo calor ut octo, exigit negationem frigoris, contra quam exigentiam potest DEVS, de sua absoluta potentia agere, & hunc effectum formalem secundarium gratiæ negare; sicut potest negare & impedire alios effectus secundarios formarum physicarum. Ergo remissio peccati non est effectus gratiæ inevitabiliter, & inimpedibiliter illi debitus. Neq; enim potest esse effectus inevitabiliter debitus gratiæ, qui superat in æstimatione morali ipsius gratiæ præstantiam. Sed remissio peccati mortalis superat in æstimatione morali ipsius gratiæ præstantiam; siquidem offensa in peccato mortali, est simpliciter moraliter infinita juxta probabiliorem sententiam, vel saltem altioris ordinis juxta alios; exigentia autem in gratia exigente remissionem peccati, est simpliciter finita. Vnde etiam gratia cadit sub meritum hominis justi, remissio peccati mortalis non cadit sub meritum hominis justi: cùm igitur ratio offensæ quæ est in peccato mortali præponderet, & prævaleat supra exigentiam remissionis peccati, quæ est in gratia; sequitur, quòd ipsa remissio peccati mortalis, superet in æstimatione morali ipsius gratiæ præstantiam. Ergo hæc remissio non est effectus gratiæ inevitabiliter, & inimpedibiliter illi debitus.

IV.
SIGNACVLVM
VIRTVTVM THEOLOGICARVM.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Cant. 8. ver. 6.

Fidei Divinæ actus potest stare cum evidenti cognitione revelationis, seu testificationis Divinæ: verùtamen hic actus si innitatur huic evidentiæ, tanquam motivo suo partiali, non erit fides ejusdem rationis cum fide supernaturali meritoria, quæ defacto datur in viatoribus. Ratio primæ partis est.

eſt. Stare fidem Divinam cum evidentia in atteſtante, ſeu cum evidenti cognitione de exiſtentia revelationis; eſt objecto alicui aſſentiri propter revelationem Divinam cognitam, & aſſenſu fidei immediato, & aſſenſu ſcientiæ evidentis ex aliquo medio evidenti infallibiliter inferente exiſtentiam revelationis: adeoq; eſt eidem objecto materiali aſſentiri propter duplex motivum, unum proprium fidei, nempe propter revelationem immediatè cognitam, præſuppoſitis tamen motivis credibilitatis, & imperio voluntatis, tanquam conditionibus prærequiſitis ad fidem: propter alterum verò proprium ſcientiæ, nempe propter medium aliquod evidens cum exiſtentia revelationis connexum: ideoq; propter revelationem evidenter mediatè cognitam. Sed de facto poteſt hoc modo intellectus aſſentiri objecto ſibi propoſito ſub duplici motivo, altero fidei, altero ſcientiæ; poteſt enim etiam idem indiviſibilis actus, eſſe ſcientiæ evidentis & fidei Divinæ. Svadeturq; id, tum ex non repugnantia talis actûs, & motivorum illius, tum ex eo, quia idem actus intellectus poteſt accipere eſſe ſuum à duobus vel pluribus motivis formalibus diſparatis; imò etiam aliquo modo oppoſitis, modò unum motivum non tollat privativè rationem formalem alterius: ſicut unus actus voluntatis vg. una electio medij alicujus, poteſt accipere eſſe ſuum à duobus vel pluribus finibus, aut motivis, etiam aliquo modo oppoſitis. Ergo poteſt ſtare fides Divina cum evidentia in atteſtante. Ratio 2dæ partis. Habitus Fidei Divinæ ſupernaturalis, qualis de facto datur in viatoribus, non poteſt elicere actum evidentem; eſſentialiter enim ordinatur ad actus obſcuros, & inevidentes, illoſq; ſolos exigit, per quos *captivetur intellectus in obſequium fidei*, ex mente Apoſtoli 2. ad Corynth. 10. & qui ſint juxta eundem Apoſtolum ad Hebr: 11. *argumentum non apparentium.* Deinde hic habitus fidei eſt determinatus, ad ſolos actus liberos, & meritorios fidei noſtræ, ideoq; tales qui eſſentialiter petunt procedere ex imperio voluntatis. Atqui ille actus, qui ſtaret cum evidenti cognitione revelationis, & inniteretur huic evidentiæ, tanquam motivo ſuo partiali, eſſet actus minimè obſcurus, ſed evidens; nec eſſet liber & meritorius, ſed neceſſarius. *Fides enim non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*, ait S. Gregor. hom. 29. in Evang. Ergo talem actum habitus Fidei Divinæ, qualis de facto datur, non poſſet elicere. conſequenter talis actus evidens fidei non eſſet ejuſdem rationis cum actibus fidei Divinæ, qui de facto dantur in viatoribus: quia actus eſſentialiter evidens & neceſſarius ex motivo ſuo formali, & modo tendendi, non eſt ejuſdem rationis, cum actibus eſſentialiter obſcuris & liberis. Sed ille actus eſſentialiter eſſet evidens & neceſſarius, ex motivo ſuo formali, & modo tendendi; actus autem fidei noſtræ ſunt eſſentialiter obſcuri & liberi. ergo.

De Fide eſt, modernum INNOCENTIUM XII. eſſe verum & legitimum Pontificem, Divi Petri Succeſſorem, atque CHRISTI in terris Vicarium.

Probatur. Quòd hic numero Pontifex INNOCENTIVS XII. ſit verus legitimus Pontifex, Divi Petri Succeſſor, atq; CHRISTI in terris Vicarius: deducitur per hunc diſcurſum. Omnis Pontifex Romanus legitimè electus, & ab Eccleſia acceptatus, eſt verus legitimus Pontifex, D. Petri Succeſſor, & CHRISTI in terris Vicarius. Sed hic numero INNOCENTIVS XII. eſt legitimè electus, & ab Eccleſia acceptatus. Ergo hic numero INNOCENTIVS XII. eſt verus legitimus Pontifex, D. Petri Succeſſor, & CHRISTI in terris Vicarius. In quo diſcurſu, Major eſt revelata, non quidem ſub his terminis, ſub quibus hic ponitur; ſed ſub illis adhuc magis univer-

ſalibus. 1. ad Timot: c. 3. ubi dicitur, *Eccleſia DEI vivi eſſe columna, & firmamentum veritatis.* per quod ſignificatur, quòd Eccleſia in rebus ad fidem & ſalutem ſpectantibus errare non poſſit, conſequenter, quòd non poſſit errare in agnoſcendo & acceptando vero Pontifice. Si enim in hoc erraret, acceptando Pſeudopontificem, & illegitimum pro legitimo: erraret in re maximè ad fidem & ſalutem ſpectante, quia erraret in acceptando capite ſuo, & regula viſibili credendorum, & agendorum. Minor verò in eodem diſcurſu eſt moraliter evidens & certa, quia de hoc habetur certitudo ex legitimitate & conſenſu Electorum, atq; ipſius electionis, ex acceptatione Eccleſiæ, atq; totius Reipublicæ Chriſtianæ ſaltem per primaria membra ſua, ut ſunt Cardinales & Epiſcopi. Proinde in eodem diſcurſu concluſio, eſt veritas deducta legitimè ex una præmiſſa revelata, altera naturali evidēti & certa moraliter; ita, ut per talē deductionē oſtendatur evidenter, hanc veritatem contineri formaliter in præmiſſa revelata, tanquam partem in toto, vel tanquam particularem in ſua univerſali. Atqui veritas taliter deducta eſt de fide; hoc eſt: poteſt credi fide Divina, non quidem propter illam deductionem, quia hæc ſolùm ſe habet per modum motivi credibilitatis, ſed poteſt credi propter ipſam revelationem immediatè cognitam. Ergo eſt de fide modernum INNOCENTIVM XII. eſſe verum & legitimum Pontificem. Quod confirmat authoritas Martini Papæ V. qui in decreto relato in Concilio Conſtantienſi ſtatuit, *ut ab Hæreticis cum Eccleſia reconciliari volentibus, primum omnium exigatur, an credant Papam Canonicè electum, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expreſſo, eſſe ſucceſſorem Petri, & habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia DEI.* Hoc autem ſi non eſſet de fide, non poſſet exigi, ut credatur.

Charitas tam habitualis, quàm actualis patriæ, eſt eadem ſpecie cum Charitate, tam habituali, quàm actuali viæ.

Fundamentum eſt de Charitate habituali illud Apoſtoli 1. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Vnde infertur eundem habitum Charitatis, qui infuſus eſt, & permanſit in via, perſeveraturum quoq; in patria. De actuali verò charitate ſuadetur hac ratione. Qui actus habent idem principium elicitivum, & idem objectum formale, illi ſunt inter ſe ejuſdem ſpeciei phyſicæ, & perfectionis entitativæ. Sed actus charitatis in patria habent idem principium elicitivum ſeu activum, & idem objectum formale, quod principium & objectum habent actus charitatis in via; habent enim eundem habitum infuſum charitatis, à quo elicitivè procedunt, & eandem bonitatem abſolutam DEI, circa quam, tanquam circa proprium motivum verſantur. Ergo iſti actus ſunt ejuſdem ſpeciei phyſicæ inter ſe.

V.
SIGNACVLVM
LEGIS JVSTITIÆ.

In conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Pſal. 92. ver. 2.

DAtur in DEO reſpectu creaturæ rationalis, juſtitia propria & rigoroſa. Ratio. Tum quia omnis virtus, quæ in ſuo con-

conceptu formali nullam involvit vel ſupponit imperfectionem, debet admitti in DEO. Cùm enim eſſe DEI contineat omnem perfectionem; & ejus ſumma bonitas omnem bonitatem reperibilem in creaturis depuratam ab imperfectione propria creaturarum, ſequitur in DEO contineri omnem virtutem, quæ in conceptu ſuo eſſentiali non involvit, nec ſupponit aliquam imperfectionem, aut ab ea depurari poteſt. Siquidem virtus ex ſua vulgari definitione eſt quædam bonitas, faciens bonum habentem, & opus ejus bonum reddens. Sed juſtitia propria & rigoroſa in ſuo conceptu formali nullam involvit, vel ſupponit imperfectionem. Nam hic conceptus, qui eſt proprius juſtitiæ rigoroſæ, eſt *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuiq; tribuendi*, totus manere poteſt, etſi depuretur ab omnibus imperfectionibus reperibilibus in commutativa juſtitia creaturarum. cujuſmodi imperfectiones ſunt; abdicare ſe omni prorſus dominio in rem debitam alteri ex juſtitia; exigere ex indigentia & neceſſitate retributionem juſtitialem; excludere liberalem promiſſionem & omnem gratiam. Ergo juſtitia rigoroſa versùs creaturam rationalem debet admitti in DEO. Tum quia datur de facto in DEO, actus talis, quò DEVS vult jus creaturæ rationalis ſervare, dando illi gloriam pro meritis, ut coronam, & ut præmium. quem actum eſſe in DEO, apertè ſvadent omnia illa loca ſcripturæ, in quibus gloria cæleſtis vocatur *merces, præmium, bravium, depoſitum, ſtipendium, corona, retributio.* ut ad Rom. 4. *ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum.* & 2. Timot. 4. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex.* Hanc coronam juſtitiæ vocat S. Auguſt. tract. 3. in Ioan. *debitum exigitum ab Apoſtolo.* & S. Bernard. tract. de libero arbitrio vocat *promiſſam ex miſericordia, perſolvendam ex juſtitia.* Atqui actus iſte DEI, eſt actus juſtitiæ propriæ & rigoroſæ. Non enim eſt actus ſolius miſericordiæ, aut liberalitatis, aut alterius virtutis; cùm ſupponat conditiones omnes juſtitiæ propriè dictæ. ergo. Tum quia in voluntate DEI promittente homini gloriam ex meritis, invenitur conventio, vel pactum oneroſum cum homine initum. invenitur etiam vera obligatio juſtitialis, orta ex promiſſione, qua DEVS promiſit bene operantibus gloriam. Sicut juxta adverſarios invenitur obligatio orta ex fidelitate in DEO, utpote ſummè veraci, & fideli in ſuis promiſſis. De qua promiſſione Divina fundante juſtitiam, Concilium Trident. ſeſ. 6. c. 16. clarè loquitur his verbis: *Bene operantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs DEI per CHRISTVM IESVM miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ex ipſius DEI promiſſione, bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus, à juſto Iudice ſibi reddendam; non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus.* Ergo in voluntate DEI, qua vult nobis gloriam ex meritis noſtris dare, invenitur totum id, quod eſt proprium juſtitiæ rigoroſæ.

Iuſtitia ſpecialis non poteſt verſari per actus ſuos circa debitum jam extinctum; ideoq; debitum ſemel ſolutum non poteſt iteratò ſolvi ex juſtitia. Fundamentum eſt. Non poſſunt dari actus proprij juſtitiæ, ſine motivo formali proprio juſtitiæ. Sed ſi juſtitia ſpecialis per actus ſuos verſaretur circa debitum jam extinctum, darentur actus proprij juſtitiæ ſine motivo formali proprio juſtitiæ. Nam motivum proprium juſtitiæ ſpecialis, eſt honeſtas relucens in actione inductiva æqualitatis, ſeu coæquativa juris paſſivi cum jure activo alieno: actus verò qui verſarentur circa debitum jam extinctum, non haberent in objecto

hanc honeſtatem. quia debito ſemel extincto, & coæquato, nulla jam reſtat in objecto inæqualitas. jam autem ubi nulla eſt inæqualitas, ibi impoſſibile eſt apparere honeſtatem relucentem in actione inductiva æqualitatis. Siquidem non poteſt induci æqualitas, niſi ſupponatur inæqualitas, quæ debeat tolli per inductionem æqualitatis. Ergo non poſſunt dari actus proprij juſtitiæ ſpecialis circa debitum jam extinctum & coæquatum. Confirmatur. Debitum condonatum non poteſt ex juſtitia compenſari. ſicut viciſſim, debitum ex juſtitia compenſatum, non poteſt condonari. Sicut enim per condonationem, ita & per primam ſolutionem tollitur perſeverantia præcedentis debiti. Ergo pariter debitum ſemel ſolutum ex juſtitia, non poteſt iteratò ſolvi ex juſtitia.

VI.
SIGNACVLVM
DEI-HOMINIS.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Gen. 9. ver. 13.

INcarnatio VERBI non fuit DEO ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria. Nam ut cum D. Auguſtino arguam, ubi nulla indigētia, ibi nulla neceſſitas; ubi nullus defectus, ibi nulla indigētia. Sed in DEo nullus eſt defectus, nullaq; indigētia cùm ipſe per eſſentiā ſit omne, purū, ſummum , ſibiq; ſufficientiſſimū bonum, nihil de bonitate creaturarum accipiens; æquè ſemper beatus, ſive hæ, ſive illæ, ſive nullæ producantur. Ergo in DEO nulla eſt neceſſitas ad producendum aliquid ad extra; atq; adeo ſicut cætera quæcunq; ad extra efficit, liberè operatur; ita & Incarnationis myſterium liberè operatus eſt. Sed neq; ad reparationem hominis lapſi ſimpliciter neceſſarium fuit DEVM Incarnari: cùm enim DEVS ſit Omnipotens, & infinitè ſapiens, poterat infinitis alijs modis liberare hominem à peccatis, condonando vg. illi peccatum, tam quoad culpam, quàm quoad pænam. *Poterat* inquit D. Athanaſius oratione 3. contra Arian: *ſine ullo adventu Chriſti ſolummodo loqui DEVS, & ſolvere maledictionem.* Hoc autem ſi feciſſet, nec quiſquam illum reprehendere potuiſſet; nec bonitati ipſius fuiſſet incongruum. Quòd interim de facto Incarnatio ſteterit ad reparandum hominem, ratio fuit condignæ ſatisfactionis pro peccato exhibendæ. Vnde rectè S. Leo ſerm. 2. de Nativit. Chriſti; ait: *verax miſericordia DEI, cùm ad reparandum humanum genus, ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimùm conſulendi viam elegit, quâ ad deſtruendum opus Diaboli, non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ.*

Vnio Hypoſtatica, eſt realiter diſtincta à VERBO & natura humana, hæcq; ſola eſt illius ſubjectum. Ratio 1mi eſt, quia in myſterio Incarnationis datur actio Incarnativa phyſica peculiariter terminata ad CHRISTVM non communis cæteris hominibus. Ergo etiam in eodem myſterio datur unio hypoſtatica realiter diſtincta ab extremis unibilibus, quæ ſunt VERBVM, & natura humana. Antecedens certum eſt, Conſequentia probatur. Actio illa Incarnativa peculiaris exigit termi-

minum peculiarem (loquor de termino formali ad quem, & immediato) sicut actio simpliciter exigit terminum simpliciter, ita ut sine eo esse nequeat; atqui alius terminus pro hac actione Incarnativa assignabilis non est, quàm unio hypostatica, realiter à suis extremis distincta: neq; enim assignari potest VERBVM, quia hoc est incapax productionis cæptæ in tempore; neq; etiam sola humanitas, quia hæc supponitur naturâ prior, quàm assumeretur ad unionem prædictam. Ergo &c. Ratio 2di est; quia omne subjectum necessariò involvit imperfectionem, hoc ipso, quòd sit quid incompletum, perfectibile, & in potentia ad aliquid, tanquam perfectivum sui, ut Philosophis notum. Sed VERBVM est incapax omnis imperfectionis, cùm essentialiter sit actus purissimus, perfectissimus, atq; adeo sine ulla potentia ad aliquid tanquam perfectivum sui. Ergo VERBVM non est, nec potest esse subjectum unionis hypostaticæ; per consequens sola natura humana est *illius* subjectum; ipsum autem VERBVM respectu ejusdem unionis, tantummodo se habet ut purus terminus, intrinsecus, imperfectibilis, quod sufficit ut verè & propriè dicatur, & sit unitum Humanitati.

VII.
SIGNACVLVM SACRAMENTORVM.

Fons signatus. Cant. 4. ver. 12.

SAcramenta novæ legis, (quæ septem numerantur) sunt signa practica gratiæ, eam causantia non physicè sed moraliter tantùm. Quòd sint signa practica gratiæ, extra controversiam apud Catholicos est. Quòd moraliter solùm causent, Ratio 1. est, quia gratia ex natura sua postulat physicè produci à solo DEO. Ergo non debet sine sufficienti fundamento (quod hîc deest) adscribi Sacramentis; aliàs dicam, opera CHRISTI physicè produxisse gratias actuales in hominibus, ei coëxistentibus, & quòd simili modo opera nostra supernaturalia producant in nobis gratiam, cujus sunt meritoria. 2. quia negari non potest Sacramenta quosdam effectus causare moraliter tantùm, nempe gratias actuales, quæ pro exigentia occasionum intuitu Sacramentorum antè susceptorum, dantur; item gratiam habitualem in casu reviviscentiæ Sacramentorum; cùm enim istos effectus causent diu, postquam desierunt, non possunt illos causare physicè, quia implicat ut id causet physicè, quod non existit physicè. Si igitur Sacramentis conceditur causalitas solùm moralis in aliquo casu, cur non in omni? maximè, cùm si scripturam, Patres, & Concilia consulamus, nihil ibi habeatur pro causalitate physica: nam simpliciter docent Sacramenta causare gratiam, mundare nos, sanctificare, &c. ex quo modo loquendi, nullum fundamentum est asserendi, quòd causalitatem physicam Sacramentis adstruant; siquidem eadem phrasi dicunt, Passionem, Sanguinem, & merita CHRISTI nos mundare, sanctificare &c. quæ tamen intelligi nequeunt de causalitate physica, nisi fortè quis velit majorem virtutem tribuere Sacramentis, quàm CHRISTI meritis, à quibus Sacramenta virtutem accipiunt, quod absit.

Baptiſmus validè, ſed cum obice, effectum ſacramentalem gratiæ, impediente, ſuſceptus, ablato obice reviviſcit ad eundem effectum conferendum. Pro hac veritate ſtat authoritas D. Auguſtini, qui ſumpta occaſione reſpondendi Donatiſtis, aliiſq; Hæreticis inquirentibus, utrum per baptiſmum in ſuo ſchiſmate ſuſceptum remitterentur peccata? reſpondet, quòd talis baptiſmus non proſit ad ſalutem, quando baptizantur, ſed quòd poſtea incipiat prodeſſe & operari ſalutem, quando nimirum fictè (id eſt cum obice) baptizatus convertitur ab ea perverſitate; ex pluribus S. Doctoris textibus, ſufficiat hoc loco unus ex lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 12. deſumptus *tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Eadem veritas probatur ratione: quia regeneratio, ſeu prima juſtificatio hominis, debet fieri per Baptiſmum in re, vel in voto, ut conſtat ex Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum DEI.* Et ex Trident. ſeſſ. 6. de juſtificat. c. 6. ubi docetur; non remitti originale, & reliqua peccata, ante Baptiſmum commiſſa, niſi per baptiſmum vel votum baptiſmi. Subſumo. Sed in caſu noſtro, niſi ponamus baptiſmum ſemel validè ſuſceptum reviviſcere, non poterit fieri dicta regeneratio, per Baptiſmum in re, vel in voto: quia ſemel validè baptiſatus, rebaptizari nequit; conſequenter, nec votum iterum ſuſcipiendi baptiſmi habere poteſt. Ergo dicendum eſt, quòd regeneratio iſta fiat & fieri debeat per reviviſcentiam baptiſmi, validè ſuſcepti, nè aliquid admittamus contra univerſalem propoſitionem CHRISTI, & definitionem Tridentini ſupra allatam.

Non ſolæ ſpecies cum Corpore & Sanguine CHRISTI, ſed etiam verba conſecrationis conſtituunt intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ. Probatur 1. de ſpeciebus, Corpore & Sanguine CHRISTI, quòd de facto intrinſecè conſtituant hoc Sacramentum: nam C. Hoc eſt. de conſecrat: Diſt: 2. docetur, Sacrificium Eccleſiæ, (id eſt Euchariſtiam, quæ ſimul eſt Sacrificium & Sacramentum) duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri I E S V CHRISTI Carne & Sanguine. Item Tridentinum ſeſſ. 13. c. 3. & Patres, dicunt Corpus & Sanguinem CHRISTI contineri in hoc Sacramento, quod verum non eſſet, ſi non ſimul cum Corpore & Sanguine CHRISTI, ſpecies conſtituerent Sacramentum iſtud. Ratio inſuper eſt, quia de eſſentia Sacramenti eſt, eſſe ſignum ſenſibile, quale ſignum non erit Euchariſtiæ Sacramentum, ſi illius conſtitutionem, ſpecies non ingrediantur. Probatur 2. de verbis conſecrationis: quòd hæc etiam intrinſecè conſtituant præfatum ſacramentum: nam præterquam quòd ex Concil: Florent: in decreto Eugenij habeatur, Sacramenta novæ legis conſtare materiâ & formâ, forma autem Euchariſtiæ ſint verba conſecrationis, ut idem Concilium definit; certum eſt per illud intrinſecè conſtitui Sacramentum Euchariſtiæ, per quod formaliter habet, quòd ſit ſignum ſenſibile Corporis & Sanguinis CHRISTI, tanquam cibi & potûs ſacri & ſpiritualis; ſed per verba conſecrationis, habet formaliter, quòd ſit ſignum ſenſibile, Corporis & Sanguinis CHRISTI, tanquam cibi & potus ſacri ac ſpiritualis. Ergo &c. Probatur minor. Corpus CHRISTI, ut eſt in Euchariſtia, non eſt immediatè, & per ſe ſenſibile; ſpecies verò panis & vini, etſi ſenſibiles ſint, ſecundùm ſe tamen non ſignificant ſenſibiliter præſentiam Corporis & Sanguinis Domini; ſed potiùs

ſub-

stantiam panis & vini: sed & utraq; simul, id est, species cum Corpore & Sangvine CHRISTI, præcisis verbis consecrationis, non sunt per se sufficienter signum sensibile gratiæ, neq; sunt sensibiliter cibus, & potus sacer, ordinatus ad nutritionem spiritualem, cùm per se discerni non possint, à speciebus non consecratis, id est à pane, & vino communi. Ergo necesse est, ut verba consecrationis sint id, per quod Sacramentum Eucharistiæ formaliter, idq; ultimatò habet, quòd sit signum sensibile Corporis & Sanguinis CHRISTI, tanquam cibi & potus sacri, ac spiritualis.

Non est dabile Sacramentum pænitentiæ validum & informe ex parte doloris non extendentis se ad omnia peccata mortalia commissa. Porro Sacramentum validum hîc dicitur, quod habet omnia essentialia ad sui constitutionem requisita; informe dicitur, quod caret effectu gratiæ ob defectum dispositionis, in recipiente, qualis defectus gratiam impediens, & non invalidans Sacramentum pænitentiæ, putatur à quibusdam dolor, non extendens se ad omnia mortalia. Probatur assertio nostra. Qualis & quantus dolor requiritur ad hoc, ut sit dispositio ad effectum gratiæ, talis ac tantus requiritur ad hoc, ut sit pars sufficiens ad valorem Sacramenti. Sed dolor ille, non extendens se ad omnia mortalia commissa, non est sufficiens dispositio ad effectum gratiæ. Ergo neq; sufficiens pars ad valorem Sacramenti; consequenter, cum dolore isto, non datur Sacramentum pænitentiæ validum & informe. Minor admittitur, & est fundamentum oppositæ sententiæ. Major probatur, Ex Concilijs Florentino & Tridentino, quæ nihil distingvunt inter dolorem requisitum ut partem ad valorem huius Sacramenti, & ut dispositionem ad ejus effectum, imò eundem dolorem ad utrumq; requirunt, ut patet ex eorum verbis: nam Florentinum in decreto Eugenij ita loquitur: *cujus* (Sacramenti pænitentiæ) *quasi materia, sunt actus pænitentis, qui in tres distingvuntur partes, quarum prima est, cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Tridentinum verò sess. 14. c. 3. ita habet: *Sunt autem, quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pænitentis actus, nempe contritio &c: qui quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione requiruntur, hac ratione pænitentiæ partes dicuntur.* Quibus verbis, manifestè requiritur, eadem contritio, sive dolor, & ad valorem, essentialem integritatem huius Sacramenti, & ad effectum ejusdem. Ergo &c.